

172

Johannes de Targowisko, Dei et apostolica sedis gratia episcopus Premisliensis, significamus presentium tenore universis, tam presentibus, quam futuris. Quomodo frequentibus ad presentiam nostri querebis venientibus; supra ordinatione prepositi et fratrum monasterii in Przeworsko, nostre diocesis, ordinis sepulchri Hierosolymitani, cupientes preteritos excessus corrigere, defectus reformare, et scandalis futuris viam precludere, ex officio nostro pastoralis, assumptis nobis in consilium et auxilium, venerabilibus et religiosis dominis, Joanne abbate de Pokrzywnica, ordinis Cisterciensis, et Joanne Priore Calui montis, ordinis sancti Benedicti, viris religiosi et iuris peritis, visitationem in prefato monasterio in Przeworsko faciendo, receptis testimonium depositionibus, et ex prepositi et fratrum hinc inde confessatis, que ad scandalum vergebant, premissa informatione et emenda, correctimus. Tandemq; pro augmento cultus divini et monasterii in cremento, et fratrum reformatione: talem, que sequitur, fecimus, et constituimus ordinationem. Primo videlicet, quod prepositus debet providere fratribus meliorem expensam, et cerevisiam bonam brassare, ut illis fratres refecti divino officio facilius vacare possent. Item famulum servabit pro servitio fratrum, qui fratribus stibam calafaciet, aquam ad lavandum portabit, et alia servitia generalia ministrabit, cui prepositus pro servitio satisfacere tenebit. Item debet habere unam stibam specialem pro infirmis fratribus, ut cum aliquem ex fratribus, permissione divina, infirmari contigerit, in eadem stiba quiescere possit, quem prepositus specialibus expensis

Monastica.

expensis providebit, præter communem expensam  
aliorum fratrum sanorum. Faciet etiam præpo-  
situs singulis septimanis capitulum pro fratrum  
correctione, in quo dum aliquos excessivos invene-  
rit corriget, iuxta ipsorum regulam et constitutio-  
nes: sed quia eundem præpositum, interdum mo-  
nasterii rebus domesticis, aut aliis occupatum,  
abesse contingit, Ideo ad meliorem fratrum ordina-  
tionem, et eorum que sunt regularia provisione,  
habebit semper unum fratrem seniore custode,  
qui ad ipsorum confratrum actus respiciet. vide-  
licet, ne ipsi fratres, præter præpositi, aut eiu-  
dem confratris senioris licentiam, pro disponendis  
eorum rebus monasterium egredierentur, et si i-  
psos egredi oportet, ex tunc nunquam nisi bini  
et bini vadant, et ipsorum negotiis dispositis,  
in monasterium revertantur, nullusq; illorum ul-  
tra horam vigesimam quartam, in civitate pau-  
sare præsumat, nisi ex legitima causa, quam  
præposito, aut eidem patri seniori prius refer-  
re teneatur. Et quamvis ex prima fundatione,  
ut dicitur, dicti fratres de ipsorum monasterio  
in Miechow ad Brzeworsko Deo vocati sunt, ut  
horas et missas de beata Maria virgine com-  
plerent, prout et a prima fundatione, ut dicitur,  
compleant, tandem vero attendentes, quod omnes  
regulares ipsorum regula constitutione ac cano-  
nica institutione, ad horas canonicas in ecclesia  
supplendas tenentur. Ideo ordinamus, ut ipsi  
fratres in ecclesia ipsorum in Brzeworsko, tem-  
poribus determinatis congregati, horas canoni-  
cas, voce intelligibili legant et compleant, sub  
pena a canone statuta. Præterea, licet gene-  
raliter omnibus religionis proprietas, velut pestis  
extrema interdicta et prohibita sit, tamen ab-  
usu constitutionis. eiusdem, prædicti fratres,

certas

certas pecunias ecclesie et monasterio in Przeworsko  
 annis singulis obvenientes, inter se per partem  
 dividebant, et in usus proprios pro ipsorum benepla-  
 cito convertabant, ne itaq; predicti fratres, tam pe-  
 stifero malo edificarent ad gehennam, statuimus  
 et ordinamus ex officio nostro, ut a modo et per  
 amplius, ipsi fratres omnes et singulos eorum pro-  
 ventus exactos, in manibus custodiri, tanquam fra-  
 tris senioris ipsorum, ad cistam communem deponant,  
 ad quam cistam prepositus unam clavem, aliam  
 vero idem frater senior habeat, neq; eandem pe-  
 cuniam, prout solitum erat dividere presumant,  
 sed ex ipsa debentur unicuiq; fratrum duntaxat  
 necessitatem, vestes, calceamenta et alia neces-  
 saria provideri. Si quid vero ultra fratrum neces-  
 sitatem, ex ipsa pecunia superaverit, illud fi-  
 deliter pro ecclesia aut domus necessitate rever-  
 vabitur. Quod si forte ex Przeworsko ad monasterium  
 in Miechow aliquem ex fratribus revocare contigerit,  
 ex tunc de eadem pecunia, fratri ita revocato, tan-  
 tum ad expensas competentes, quantum sufficiet  
 eundo ex Przeworsko in Miechow, providebitur.  
 Qua omnia et singula in omnibus punctis, clau-  
 sulis, et capitulis, prout superius descripta sunt,  
 tenendum, implendum, et observandum fore, tam  
 per prepositum, quam per fratres, auctoritate  
 nostra ordinaria, decreto interposito, mandavi-  
 mus. In quorum omnium et singulorum fidem,  
 et testimonium premissorum, presentes literas  
 confici et fieri mandavimus, et per notarium no-  
 strum publicum, causa et facti huiusmodi coram  
 nobis scribam, subscribi, nostriq; sigilli iunxi-  
 mus et fecimus appensione communiri. Actum  
 et Datum in monasterio oppidi Przeworsko in  
 stuba superiori murata, anno Domini mil-  
 lesimo quadringentesimo nonagesimo, indictio-

ne

ne octava, pontificatus sanctissimi in Christo pa-  
tris et domini nostri, domini Innocentii Divina  
providentia papa octavi, anno ipsius sexto, die ve-  
ro mercurii tertia mensis februarii, hora tertiar-  
um vel quasi. Praesentibus ibidem hominibus  
religiosis et discretis viris, Joanne in Grodzisko,  
Nicolao in Boiazid, Nicolao in Urzewice, pleba-  
nis Stanislawo De Cracovia et Petro de Gdano  
notariis publicis testibus ad praemissa.

Et ego Laurentius Martini De Ko-  
sciot, publicus sedis apostolicae et im-  
periali auctoritatibus notarius, et coram  
reverendo in Christo patre et Domino  
Joanne Dei gratia episcopo Premi-  
sliensi, causa et facti huiusmodi scri-  
ba. Quia praedictis visitationi, testium re-  
ceptioni, correctioni, reformationi, et ordi-  
nationi, aliisque omnibus et singulis praem-  
issis, dum sic, ut praemittitur, agerentur  
et fierent, una cum testibus praenomina-  
tis praesens interfui, eaque omnia et  
singula sic fieri vidi et audiui. Ideo  
has literas sive hoc publicum instru-  
mentum manu alterius fideliter scri-  
ptum exinde confeci, et in hanc formam  
publicam redegi, signoque et nomine meo  
in solitis et consuetis manu reveren-  
dissimi patris Domini episcopi praem-  
fati, sigillique appensione consignavi,  
rogatus et requisitus, in fidem et testi-  
monium omnium et singulorum praem-  
issorum.

---